



Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/343258>

33

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
USUFRUCTU,

QVAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ, Anatomes, & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicci consensu, & Nobilissime

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &

Privilegiis ritè ac solenniter consequendis,

Eruditorum examini exponit

JOSEPHUS ÆGIDIUS SCHEEMAKER,

Flander. Medicinæ Doctor.

Ad diem 1. Februarii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academizæ
Typographi, clc Ibc Lxxxvi.

D E O
O P T I M O
M A X I M O

Omnis Sapientiæ Datori.

Sapientissime Deus : flumina unde exeunt
Revertuntur : Ate Exivit sapientia Ri-
vulus , qui Spiritum humilis servi tui , &
irrigavit & fœcundavit: justum & equum
est , ut ad te rursum pleno impetu reverta-
tur. Quapropter Theses has , omniaque stu-
dia & conamina sacratissimæ majestati
tua filiali relatione refundo : Benigno
oculo respice munus meum , quia donum
tuum est.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
USUFRUCTU.
THESIS I.



Susfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salva earum substantia. Dicitur *Jus*, quod licet sit in corpore, à cuius realitate & existentia dependet, tamen ususfructus res est incorporalis. Dicitur *alienis*, qua nemini res sua servit, per res etiam personas intellige. *Salva earum substantia* additum est, ut à dominio & proprietate distinguiatur.

I. I.

Omnium prædiorum jure legati potest constitui Ususfructus: similiter pactionibus & stipulationibus, idque

A 2

vel

4 DISPUTATIO JURIDICA

vel in toto vel in parte, quinimo in judicio familiæ eriscundæ, & communi dividendo ususfructus constitui potest, si judex alii proprietatem, alii Usufructum adjudicaverit.

III.

Usufructu constituto omnis fructus rei ad fructuarium pertinet, sive ea mobilis sit sive immobilis, puta ædium Usufructu legato, quæcumque obventiones ex ædificiis areis, cæterisque quæ ædium sunt, obveniunt, ad fructuarium pertinent: fundi Usufructu constituto quidquid in fundo nascitur, quodquod inde percipi potest, ipsius fructus est: unde apes, aucupiorum venationumque reditus, metalla, & lapidicinæ, quin & alluvionis fructus ad fructuarium pertinere contendimus.

IV.

Fructuarius vel ipse ea re frui vel alii fruendam concedere vel locare vel vendere potest, unde cui ususfructus legatus est, etiam invito heredi eum extraneo vendere potest.

V.

Homo in fructu hominis esse non potest, unde pars ancillæ in Usufructum dataæ ad proprietarium non ad fructuarium pertinet: aliud sentiendum de fœtu pecorum & jumentorum, item gregis & armenti. Debet tamen ex agnatis gregem supplere id est, in locum capitum defunctorum vel inutilium alia submittere, ut post substituta fiant propria fructuarii, ne lucro ea res cedat Domino.

VI. Quo-

V I.

Quoties Ususfructus legatus est , ita inter fructuarios est jus accrescendi si conjunctim sit Ususfructus relictus: cæterum si separatim unicuique partis rei Ususfructus sit relictus jus accrescendi cessat. Interdum tamen et si non sint conjuncti tamen Ususfructus legatus alteri accrescit ut puta si mihi fundi totius ususfructus separatim, & tibi similiter fuerit relictus.

V I I.

Dies autem Ususfructus cedit, quando hæres vel hæredes adeunt hæreditatem, quod si ex die ususfructus legitur dies ejus non cedit, nisi quando dies venit , non solum autem ususfructus ante aditam hæreditatem dies, non cedit , sed nec actio de usufructu.

V I I I.

Et Ususfructus, & actio de usufructu , capitis minutiōe amittitur, nec refert an jure constitutus sit an tuitioē Prætoris quod tamen intelligendum si jam constitutus est: cæterum si ante aditam hæreditatem, aut ante diem cedentem quis capite minutus est, constat non amitti : sicut autem in annos singulos usufructus legari potest, ita & capitis minutiōe amissus legari potest, ut adjiciatur, quotiescumque capite minutus erit do lego , vel sic, quoties amissus erit, & tunc si capitis minutiōe amittatur repetitus videbitur.

I X.

Morte quoque amitti usumfructum non recipit du-

A 5 bitatio-

DISPUTATIO JURIDICA

bitationem , cum jus fruendi morte extinguitur ; sicuti si quid aliud quod personæ coheret : si legatum usumfructum legatarius alii restituere rogatus est, idagere prætor debet, ut ex fideicommissarii persona, magis quam ex legatarii pereat ususfructus, repeti potest legatus ususfructus qualicumque ratione : dummodo non morte , nisi forte hæredibus legaverit.

X.

Usumfructum placet quoque rei mutatione interire : veluti ususfructus ædium mihi legatus est, ædes corruerunt vel exustæ sunt sine dubio extinguitur , an & area? Certissimum est , exustis ædibus nec area nec cæmentorum usumfructum deberi.

X I.

Excepta capitis minutione & morte , reliquæ causæ vel pro parte interitum ususfructus recipiunt : ususfructus servi legatus donec manumittatur incipiente proprietario manumittere extinguitur. Neque ususfructus neque actus neque iter dominii mutatione perduntur , perditur denique ususfructus fructuarii voluntate, dum scilicet eum deserit , quo casu ad proprietatem revertatur.

X I I.

Non tantum earum rerum quæ Usu non consumuntur , sed & omnium , quas in patrimonio cujusque esse constaret , Usumfructum posse legari senatus-consultum censuit : etiam earum quæ usu aut consumuntur aut minuuntur. Sed de pecunia recte caveri oportet , his a quibus ejus pecuniæ Usufructus legatus erit , quo effe-
ctum

Etum est non ut Pecuniæ Usufructus proprie esset nec enim naturalis ratio Senatus auctoritate commutari potuit sed remedio introducto cœpit quasi Usufructus haberi, quod autemde pecunia dictum est ad omnes omnino res usu consumptibiles sine differentia extendendum judicamus.

X I I I.

Si fundo fructuario servitus debeatur, fructuarius quidem servitutem vindicare non potest verum Usumfructum vindicare posse ac per hoc vicinus si non patiatur eum ire agere, teneri ei quasi non patiatur uti frui, unde Usufructus adminiculis eget sine quibus uti frui quis non potest. Nempe si Usufructus legatus sit, necesse est ut sequatur eum aditus: usque adeo ut si quis usumfructum loci leget ita ne hæres cogatur viam præstare, inutiliter hoc adjectum videatur quoad alias servitutes, de quibus dubium esse potest an sequantur fructuarium, tenendum est eas necessario eum sequi deberi sine quibus absolute uti frui non potest: quod si tantum cum aliquo incommmodo utatur tales omnino ei esse denerandas.

X I V.

Si ab hærede ex testamento fundi usufructus petitus fit, qui arbores dejecisset aut ædificium demolitus esset, aut aliquo modo deteriorem usumfructum fecisset, aut servitutes imponendo aut vicinorum prædia liberando, ad judicis Religionem pertinet ut inspiciat qualis ante judicium acceptum fundus fuerit ut usufructuario hoc quod interest ei servetur. Qui usumfructum tanto tempore desit in usu habere quanto amissurus esset, eum si

le-

legitime ejus factus esset, actionem ad restituendum eum habere non debet : non enim plus juris habent, qui usumfructum tantum quam dominium adepti sunt.

X V.

Æquissimum est, ut fructuarius de proprietate caveat & satisfiat, scilicet usurum se boni viri arbitratu: & cum usufructus ad eum pertinere desinet restituturum, quod inde exstabit: idque sive res mobilis sit, sive immobilis sive habeatur ex fideicommisso, seu mortis causa donatione, sive ex alia quacumque conventione; deteriorem ergo causam usufructus facere non potest, & ad hoc ea facere tenetur, quæ in sua causa facturus esset. Recte autem facient & hæres & legatarius, qualis res sit, cum frui incepit fructuarius si intestatum redegerint & inde possit apparere, an & quatenus rem priorem fructuarius fecerit.

X V I.

Cautio quam fructuarius debet præstare, testamento, remitti non potest, unde quamvis testator cautionem a fructuario prohibuerit, exigi tamen non aliter a debitoribus pecuniam accipere poterit, quam oblata secundum formam Senatus Consulti cautione: Non potest tamen fructuarius impedire proprietatis dominum obligare creditori proprietatem, eamque vel in pignus vel in hypothecam dare, dummodo ei maneat integrum jus ususfructus.

F I N I S.